
ORATIONES IN DIE CINERUM ET ASCENSIONIS DOMINI. AD ILLUSTRISS.MUM…

Bartolomeo Peretti





ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO D. ALEXANDRO PERETTO CARDINALI MONTALTO, SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE VICECANCELLARIO.

Bartholomæus Perettus Basilicæ Principis Apostolorum Canonicus, & V.I.C. S.





VM duas publicè habuerim orationes; Alteram superiori anno, in sacra Sabinæ Æde; Alteram verò hoc in peracto Ascensionis Dominicæ sacratissimo apud Diuum Apostolorum Principem; & quorundam iussu, quorum post te (Illustrissime Princeps) secunda apud me est authoritas; vt thipis mandarem, impellerer ne dum hortarer quidem;

omnino mihi (non ſecus ſine nephario ingratitudinis ſcelere, quod tam abominabile apud Perſas eſſe Xenophon affirmat, efficere poteram) obtemperandum duxi. Verùm quia animaduertebam, hanc laboris mei partiunculam adeò exilem, debilem, ne nudam penitùs dicam, eſſe, quod longè meliùs ſecum actum eſſet, intra proprios parietes ſe ſe abdere, quàm in lucem (ni ſyderis tui radijs illuſtrata) proſilire; ſacratiſsimo Nomini tuo dedicandam duxi. Suſcipias igitur læta fronte, illariq́ animo quicquid à me omnium mortalium tibi dedutiſsimo offertur: non rem ex re perpendens, ſed ex animo, vt ſapius, quem & nomine, & animi magnitudine refers; factitaſſe accepimus. Vale.

IN DIE CINERVM ORATIO.



I quid vnquam à Deo Opt. Max. hactenus mihi exoptādum fuit, ardentissimisq; votis petendum (Pater beatissime) hoc vnum certè, vt hodierna die, ex hoc suggesto verba facturus, sic in dicendi facultate valerem, pro loci dignitate, pro suscepti muneris onere, in eam prorumperem orationem, vt queat ad te stificandam, & commemorandam conditionis humanæ causam sacra hac prima luce intonat Mater Ecclesia, Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris; ita demandatam prouinciam, si nō exornare, saltem quacunq; dicendi ratione explicare possem. Verū quia nullus augustior, nullus eminentior locus, hoc in mundo mihi obtigere poterat; resides nempè tu Sāctissime Pater, qui vnus inter omnes quidem mortales, illius æterni numinis, vim, & potestatem geris. Adest conspectus amplissimorum patrū, quorum authoritatem, maiestatem, vniuersus orbis terrarū, summa cū veneratione colit, precatur, & obseruat. fit quidem, vt non tam mihi in dicendo copia, quàm modus in exordiendo sit quęrendus, & qua arte id præstare possim, vsquequaq; ignorem. Quamobrē si minus ornate, cumulate, si minus aptè susceptum onus explicauero; magnitudini rei, loci sanctitati, huic sacratissi-

mo conuentui, & tandem Beatitudini tuę adscribendum putabis.

Ex D. Ambros. in Exameron. Si quid laudabile, si quid doctè, à philosophis dictū fuisse accepimus; illud primas sibi vendicare partes affirmandum videtur omnino; illud certè totius humanę prudentię summam, illud cardinem, esse habendū. Voluere inquam: posterisq; monimentis suis, perpetuo seruandum reliquerunt. Illam tantum veram, illā tantum certam, illam demum perfectam philosophiā esse, quæ circa mortis cogitationem, omnia studia, labores, omnes metis, & animi sensus, collocaret. Illum meritò philosophari solùm, qui ab hac mortali vita *D. Hier.* decessurū tandem, præ oculis, in sinuq; nullo temporis *D. Hiero. in epist. ad Heliodor.* cursu intermisso haberet: nihil est quidem, quo à turpe dictis, à minus honestè factis, à parum castè, & purè meditatis, deterreantur homines, quàm memoria repetere, mortem propter incertos casus quotidie immi*D. Aug. lib. de vita Christia.*nere, & propter vitæ breuitatem nunquam longe abesse posse. Ab hac migrandum vita, & eas quidem in oras, vbi dictorum, factorumque, & totius peractę vitæ ratio sit omnino redenda. Istius humanę philosophiæ *Cic. in Tuscul.* præcepta, omnes disciplinæ, omnes ciuiles artes eò tendunt, vt rectè, laudabiliterque viuamus. talem autem ducere vitam, est quidem, honestam, sibi parare vi*August. sup. epist. Ioan.*tę dissolutionem. Hinc optima quidem, & numquam satis laudata Sanctorum patrum institutio ista, principio renascentis anni, non verbis tantùm, sed re ipsa commutationis nostræ specimen præ oculis ponere: nulla certe alia ratione, quàm huiusce inuestigationis studio inflammati, causam nostram, cum communi cunctarum rerum interitu coniunctam esse, discamus; hac certitudine ducti, nos non istius terrenæ ciuitatis *Greg. in moralib.* ciues, sed aliam nobis paratam agnoscamus: vitæ fragilitatem cogitādam, in hac cogitatione persistendū; persistendo etiā, vberrimos inde colligamus fructus. Clamat igitur Mater Ecclesia, miserandæ cineris no-

ſtræ præclarum añte oculos exhibens monumentum. Meme͂to qui ſacrâ baptiſmatis vnda es aſperſus.meme͂to qui ſacratiſſimo Chriſti ſanguine es rede͂ptus. meme͂to qui terrena hæc propediem es deſtituturus, bona cinis es, & in cinere͂ reuerteris. Ab hinc ſeculis multis quã huiuſce conditionis noſtræ non vtilis,ſed neceſſaria omnino recordatio eſſet, ſapientiſſime, & non obſcurè indicauit omnium mortalium, qui ante, qui poſt futuri erãt,ſapientiſsimus ille.Memorare nouiſſima tua,& in æternum nõ peccabis. Eccleſ. 7. & Bernard. in ſermo. Auguſt. lib. exhortat. Quid enim malæ compoſitæ mentis motus compeſcit? mortis cogitatio;quid turpia facta,quid fœda dicta, profuſam luxuriem euitandam ſuadet? mortis recordatio.Quid incorruptam,ſanctamque traducere vitam docet?Naturæ aſsidua meditata diſſolutio. Senec. epiſt. 88. Quid errores agnoſcamus,animos noſtros ab omni crimine reuocemus,impellit? occaſus noſtri exercitatio. Quid ad æternam, & nunquam interituram beatorum patriam iter nobis inſtituit, & parat? obitus noſtri non intermiſſa diſputatio. Gregor. in homil. Memorare igitur homo nouiſsima tua, & in æternum non peccabis; Memento inquam(ſæpè,ac ſæpius hoc repetere liceat quæſo) ex puluere à ſummo illo Opifice te creatum eſſe,& in puluerem exacto iſtius vitæ curſu reuerſurum. Tali iſtius philoſophiæ ſtudio omnis pudor,moderatio,æquitas,integritas,ſanctitas, in Chriſtiano viget homine. Prudentiſsimè apud non nullas gentes inuentum,atque inſtitutum fuiſſe dicemus;præſtitutis nonnullis temporibus,quædam publicè ederentur,vt ciues ad virtutes inflammarentur,ad gloriam excitarentur,ad pietatem (quam illa ferebãt tempora)ducerentur. Hinc apud Hebræos ſeculi curſum conſtitutum agnoſcimus; apud Græcos olimpiacos ludos vſu receptos; apud Romanos luſtra inuenta,legimus.longè ſapientius,lõgè prudentius iſta præſens Sanctæ Eccleſiæ introducta eſt inſtitutio; non corporis, non ſcientiarum ad honorem ſpecimen po- Gregor. ſup. Matth. 10.

pularis

pularis iudicij exhibendi studio, non impia, non vana vt ipsi peragendi sacrificia; sed ea datur recordatio, tamquàm aliò migraturi; tamquam quotidie discessu ri nosmetipsos componamus; sed ita tamen, non errore, non culpa sociati, sed omnibus virtutibus sæpti, recedamus. O felix tempus; ò amplectendum diem; ò in sinu gerendam horam; ò vicissitudinem oculis ipsis clariorem habendam. Incredibilis mæror, effusæ lacrimæ, squallor Matris nostræ, sacrorum Antistites præ manibus cineres versantes, luctus ad rectam viam redeuntium, quàm sacra, veneranda, quàm Augusta sit dies ista, declarant: lacrimis permiscentur prçces, precibus adiunguntur cineres, & cineris aspersione ad meliorem extrahimur vitam. Inter templum, & altare plorabunt sacerdotes, & Ministri Dei. parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in perditionem. Hæc sacratissima dies iam à seculis multis visa fuit sub scalæ graduum celsitudine, Empireum cælum attingere; videre visus est Pater ille, è terra ad cælos per eam Nuncios cælestes ascendere, quasi hanc diem, hanc puluerem memoria tenentes, de alia gerenda vita cogitemus. hosce, principium in cinere, luctu, & solemni hac præcatione sumentes, seruando gradus, ad immortalis Dei beatam nobis detur aditus sedem. Quid? Non datum fuit genti tunc temporis Deo gratę, optatæ potiundæ terræ, nisi quadraginta annorum cursu, summis laboribus, & periculis, impleto. Hoc sacratissimo quadragenario ieiunij numero, deserta, inculta, & mille interclusa impedimentis, ad nunquam interitura bona, aperitur via. Aeternæ comparandæ felicitatis validæ exhibentur vires; ad ferocitatem perpetui hostis comprimendam, ad ipsius audaciam frangendam, ad ipsum despectum habendum, instruimur. Illud præmeditádum ex luto nos progenitos esse, & luto (quod illius est) aliquando reddituros. Si qui sint qui velint

(omnes

(omnes autem velle debemus, neque secus absque turpissimo ingratitudinis vitio, nostraque penitus desperata salute, efficere valemus) rem hanc nostram, animam scilicet à superno illo Opifice nobis elargitam, saluam fore, sibi in primis pręponere debent, die, noctuque mortis cogitationem præoculis habendam. Qui quotidie se moriturum recordatur, præsentia quidem ludibrio habet, illa negligit, ad futura autem festinat, futura cupit, perquirit, & anhelat: hac de causa est cur sæpè, ac sæpius laudē, & omni laudis genere cumulandos affirmē eos, qui perfectā prudentiā, veramq; sapientiam seipsum agnoscēdo, esse voluerunt, laudatur quidem, & iure optimo celebratur Democritis institutum, qui cum se puluerem, & vmbram esse perspiceret, maioris indies sui ipsius recordationis tenendæ gratia, omnia vrbis monumenta sæpissimè inuisere solebat. Natura comparatum est, vt quęque ardua, horrenda, terribiliaq; videtur, assidua ipsorū meditatione, quasi familiari quadam consuetudine, relaxentur. Præbet exempla istius memoriæ perpetuò habendæ, ipsa Natura; annorum reuolutio; per orbes suos cælorum conuersio, animalia, herbæ, planetæ, terra, & muti parietes ipsi aliquando interituri exclamare videntur; Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Ea semper in opinione fui, nulla alia de causa inter animalia cuncta nil fragilius creatum fuisse homine, quàm sui memoriam colendo sui memor perpetuò viueret; hacque assidua recordatione, omnes animi motus ad rectè, beateque viuendum aptaret. Quid enim præseferunt assidui humanarum rerum status? quid hac in vita nihil firmum, stabile, diuturnum; sed omnia fluxa, fragilia, caduca? Hanc nostram in dies experimur vitam, tot tempestatibus, tot naufragijs, tot ruinis, erumnis, obnoxam. Ea lege implicitj tenemur vniuersi, & recusandi hæc mala, nulla detur facultas. principium vitæ à lacrimis à fletu, ab

S. Hieron. in epist. ad Eliodo.

Laert. in vita philosoph.

acer-

acerbitate facimus;in mætu,in mȩrore, dolore, quasi laqueis irretiti,tenemur. O prudentes Traces, ò memorabile facinus, ò nunquam satis laudatam institutionem. infantes in locem editos non sine lacrimis multis, non sine tristitia, non sine lamentis, excipiebant.certè nihil aliud præseferre volebant, quàm assiduam istius dissolutionis nostræ, recordationem, ineuntis vitæ nostræ veram commendationem, à luctu, à mȩrore, à mortis cogitatione ordiri. Hac frequenti cura videre licet homines omni pudicitiæ genere stipatos, humanitate, benignitate, modestia, obseruantia in maiores, æqualitate inter pares, pietate in inferiores, & religione in Deum florentes; fit nempè hoc studij genere, totam salutis nostræ causam quàm maximè intentis oculis (vt aiunt) acerrimè contemplemur. Quæque aduersa, aspra (talia sunt istius terrenę mansionis nostræ munera) inuicto animo feramus, ne rerum tam iniusti ęstimatores simus, quod ficta bona, æternis, & perpetuò duraturis præponamus. Hac recordatione à vera felicitatis via non aberramus. illud inimus iter, illud continēs, perpetuumque seruamus; vt tandem terrenis curis non impliciti, ex his ergastulis, ex hac miseranda caligine, ad superos euolemus. Cælestia, & numquam interitura, appetamus, perquiramus; & vnà cum immortali animarum cœtu, inenarrabili diuina luce perfruamur.



FINIS.

